



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 2. Quinam sunt Eucharistiæ effectus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Communionis: talis enim jam satisfecit præcepto divino communicandi in fine vitæ; nam communicavit tempore proximo mortis, ac proinde moraliter censetur communicasse in periculo mortis, licet id ignoraret.

Q. 2. Quinam sunt Eucharistiæ effectus?

Resp. Hi. 1. & principalis est nutritio & confortatio animæ, ac augmentatio in vita spirituali, nimirum gratiâ sanctificante & charitate. ex Joan. 6. Caro mea verè est cibus, &c. ex Florent. in decreto de Sacram. ibi: Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignesumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augetur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quo ad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritua-

lem: in quo gratiam salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum. & ex Trid. sess. 13. c. 2. Hæc autem nutritio & confortatio spiritualis consistit partim in augmento gratiæ habitualis, partim in gratiis actualibus uberioribus, quæ suo tempore intuitu Eucharistiæ perceptæ dantur, ad charitatem conservandam & augendam per opera meritoria; nisi tamen gratiis illis per

peccata etiam venialia deliberatè vel frequenter commissa obex post ea apponatur.

2. Liberat à peccatis venialibus.

3. Præservat à mortalibus, Trid. cap. 2. cit. per gratias scilicet actuales, quæ illius intuitu dantur ad superandas tentationes & servanda mandata cum urgent, & mediante illâ præservatione operatur perseverantiam in gratia, & per eam gloriæ consecutionem, juxta Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Si tamen homo gratiis illis non resistat.

4. Est delectatio spiritualis, ex Florent. supra cit. & ex Conc. Vien. Clement. de reliquis, &c. ibi. *In quo habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.* Sed hæc delectatio spiritualis sæpe non est sensibilis, & impeditur per negligentiam, teporem, distractionem communicantis, vel affectum ad delectationes terrenas.

5. Imminuit concupiscentiæ fomitem, tum augendo charitatem, nam ex S. August. augmentum charitatis est diminutio cupiditatis; tum per gratias actuales, quibus excitantur pii motus contrarii motibus concupiscentiæ.

Denique Eucharistia influit in gloriosam resurrectionem corporum, in quantum Deus ad vivificanda ista corpora movetur per conjunctionem, quam habuerunt cum vivificante Christi carne, ex Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam*

vitam eternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die.

Ex quibus patet quàm utilis & expetenda sit frequens Eucharistiæ sumptio, modò fiat cum debitis dispositionibus.

Q 3. Quenam dispositiones ex parte anime requiruntur ad Eucharistiam?

Resp. I. Sub mortali requiritur status gratiæ. Prob. I. ex I. Cor. 11. *Quicumque manducaverit indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini... judicium sibi manducat, non dijudicans Corpus Domini.* Sed qui est in peccato mortali, manducat indignè. Ergo 2. ex Trid. sess. 13. cap. 7. 3. Quia peccator gravem injuriam ac irreverentiam admittit in Christum; eum suscipiendo in statu inimicitiae, & peccati, quod ei infinitè displicet, & quantum in se est falsam reddendo significationem tanti Sacramenti, illudque effectu suo privando: nam cum sit institutum per modum cibi & potus, ad augendam, roborandam, & conservandam spiritualem vitam animæ, quæ est gratia sanctificans & charitas, illam præsupponit; nec enim cibus datur aut prodest mortuo. Quod sacrilegium gravissimum est, nam eò gravius est sacrilegium quò persona vel res sacra, quæ indignè tractatur, sanctior est.

Porrò S. Franciscus Salesius, in sua introduct. tum immunitatem ab omni peccato mortali & ab omni affectu ad quodvis veniale,

tum